



**Acta et decreta Synodi diœcesanae Leodien. præsidente ...  
Georgio ab Avstria, episcopo Leodiensi ... : Celebratæ anno  
M.D.XLVIII. mens. nouemb. die VII.**

<https://hdl.handle.net/1874/403084>

4

ACTA ET  
Decreta Synodi dioce-

C E S A N A E L E O D I E N .  
præsidente Reuerendiss. in Christo patre, &  
amplissimo Principe & Domino, D. G E  
ORGIO A B A V S T R I A , Episco  
po Leodiensi, Duce Bullonensi,  
Comite Lossensi, &c.

Celebratae Anno M. D. X L V I I I .  
Mens. Nouemb. die V I I .

P R V D E N T E R V I



T U T A C O M E S .

G I L I A G I O R G I

¶ Cum gratia, & priuilegio.

L O V A N I I

Excudebat Jacobus Batius, Anno  
M. D. X L I X .

Prostant apud Martinum Rotarium,

卷之三

— G. animalis equinum (omilopus)

1996年6月2日  
中華人民共和國農業部

卷之三

INTRODUCTION

on A. *viscidus* Staudinger

政治小説の歴史

PRIUILEGIUM  
PRIUILEGIUM Cæsar.



Harles par la Diuine cle-  
rence Empereur des Ro-  
mans, tousiours Augu-  
ste, Roy de Germanie, de  
Castille, de Leon, de Gre-  
nade, Darragon, de Na-  
uarre, de Naples, de Ceci-  
le, de Maillorque, de Sar-  
deine, des Ysles Indes, &  
terre ferme de la mei Occeane. Archiduc Daustri-  
ce, duc de Bourgoingne, de Lothier, de Brabant, de  
Lembour, de Luxenbour & de Geldres. Conte de  
Flandres, Dartoys, de Bourgoingne. Palatin & de  
Haynnau, de Hollande, de Zeelande, de Ferrette,  
de Hagenault, de Namur & de Zuytphen. Prince  
de Zwiaue. Marquis du sainct Empire. Signeur de  
Frize, de Salins, de Malines, des Cite uilles &  
Pays D'trecht, Louerysfl & Groeninge. Et Do-  
minateui en Asie & en Aſſirique. Noz treschiers  
& feaulxles president et gens de nostre priue con-  
seil, president & gens de nostre grāt conseil, Chā-  
celier & gens de nostre conseil en Brabant. Gou-  
uernuer premier, & aultres gens de nous consaulx  
en Hollande & à Vtrecht, & à tous nous autres iu-  
sticiers & officiers cui ce regardera, ou à leurs luix  
tenans talu & dilection. Le la part de tresreuerēd  
pere en Dieu nostre treschier & feal cousin Leue-  
isque de Liege, duc de Bullon, conte de Loz &c.

A ii                  Nous

## PRIVILEGIVM

Nous à este expose comment suiuant la Reformatio na gaires faicté en nostre cite imperiale de Aulbource, & par les estaz du sainct Empire approuuee & acceptee, & ueillant à icelle cōme subiect du dict sainct Empire obeyr & satissaire, à enuiron la feste desaint Martin dernier, faict cōuocquer & assambler le clergie de son diocese, & celebres sa Synode Diocesane ou Episcopale, affin dacheuer l'execution de la dictē Reformation. En la quelle assamblee ont este conceuz & arrestez plusieurs pointes & articles par les quelz la dictē Reformation pourroit auoir meilleure & plus facile execution & yssue. Lesquelz pointes sont redigez par escript en ung quoyer. Et entend le dist exposant les faire imprimer par ung nōme Iacques Bathen imprimeur demourant en nostre uille de Louuain, affin que lesdicts ordonnances & articles soient cogneus & notoires à tous ceulx de son Diocese, ausquelz la chose touche, & que nul ne puisse pretendre cause d'ignorance. Mais le dict exposant ne le uouldroit faire obstant nous deffense faictes & publiees au contraire, sans sur ce auoir obtenu nous lettres de cōgie & licence à ce pertinente, dōt il nous à tres humblement suplie & requis.

Pource est il, Que nous les choses dessidictz cōsideres inclinans fauorablement à la requeste de nostre dict cousin Leuesque de Liege exposant. Et de sirans la saincte cōclusion faicté à la dictē Synode & congregatiō Episcopale sortir effect & estre exécute, Auons au dict Iacques Bathen otroye & accordé, ottroyons & accordons de grāce especiale par ces presentes, Que durant le temps & terme de deux

## CAESAR:

deux ans prochainement uenās, il seul puist & pourra imprimer ou faire imprimer lesdictes constitutions synodales. Et les liures qui en ferōt imprimées avec inserſion des Articles faire uendre & distribuer en & part tous nous pays & signeuries de par de ca. Sans ce que autres imprimeurs, libraires, ou marchans quels quiz soient, durant lesdicts deux ans, puissent contrefaire ou imprimer, semblables liures sur paine de confiscation diceulx : & pardessus ce four faire ung Carolus dor pour chascun liure, au proufit du dict Iacques Bathē. Si nous mandons & à chascun de nous endroit soy & si cōme à luy appartiédra, que de nostre presente grace, otroy & accord, durant le temps felon & par le maniere que dict est, vous faictes, souffrez & laissez nostre dict cousin exposant, ensemble le dict Iacques plai nement & paisiblement ioyr & user, cessans tous cōredits & empeschemens au cōtraire, Car ainsi nous plaist il. Donne en nostre ville de Bruxelles le xv. iour de ianuier, lan de grace. M.

D. X L V I I I . de nostre Empereur le X X I X . Et de noz regnes de Castille & autres le X X I I I .

Par Lempereur  
En son conseil,

De Zoete,

R A P H A E L  
Ad Lectorem.



Duntur tibi hic optime  
Lector, acta Synodi dice-  
cesanæ nuper à Reueren-  
dissimo Illustrissimo quæ  
Principe & Antifite no-  
stro D. GEORGIO AB AV-  
STRIA, Epilcopo Leodi-  
ens. in ciuitate Leodien.  
solēniter celebratae, duo-  
rum probatæ fidei nota-  
riorum, qui ipsi Synodo à principio usq; ad finem  
intervenerunt, subscriptione in publicam & authen-  
ticam formā redacta. Ex quibus disces & qua fre-  
quentia alacritate quæ Patres quos eidem Synodo  
oportebat interefse, ad eam conuenerint, & cum  
quanta maturitate, quoq; ordine ac modo inchoa-  
ta, continuata & absoluta: Necnon quid in quaç;  
sessione gestum sit. Post historiam actorum, conti-  
nuo subiiciuntur exempla binarum ipsius Reueren-  
dissimi literarum quarum in ipsis actis fit mentio.  
Primo uidelicet, earum quibus patres Synodales  
fuerunt cōuocati. Deinde, illarum quibus ea quæ  
pro commodiori executione praxi Reformationis  
in nouissimis Comitiis Imperialibus Augustæ ce-  
lebratis iussu S. Cæsar. Maiest. per uiros erudi-  
tione ac pietate præstantes, primum conceptæ: De  
inde ab ecclesiast. Principibus maturè discussæ ac  
probatæ; tādemq; ab omnibus pariter Imperii or-  
dinibus

## L E C T O R I

dinibus receptæ, ibidemq; in publicum emissæ, de  
unanimi dictorum Reueren. ac patrum Synodaliū  
consensu, consilio & approbatione cōclusa & con  
stituta ac demum in choro Cathedralis Ecclesiæ  
Leodien. corā eisdem magna populi frequentia  
assistente, publicatae fuerunt. Quæ profecto eiu  
simodisunt ut à cunctis Christi gloriâ Ecclesiæ suæ  
decorem & inueteratorū abusum emendationem  
uerè desiderantibus, merito debeant benevolè ob  
uiisque (ut dici solet) ulnis excipi, & operum ex  
hibitione comprobari. Adiectū est insuper his &  
aliud ipsius Reuerendiss. mandatum, aliquanto  
post solutum Synodum editū, aduersus huius suæ  
Dicecef. clericos; qui cū sacris ordinibus, ad quos  
imprudenter anhelant, adhuc immaturi sint & in  
digni, formidine diligentioris examinis, quod iu  
xta supradictas Constitutiones Synodales à Reue  
rend. Patern. suæ deputatis super vita & litterarum  
scientia, priusquam ad dictos ordines promouean  
tur, fieri debet, prout nouissime quatuor tempo  
ribus Aduentus ceptum est, cōfidunt se eosdem ab  
alienis & extraneis Episcopis, uel nullo uel perfun  
ctorio tantum examine präuenio consecuturos, in  
eisq; nullo prohibente ministraturos: spē uidelicet  
collocantes in dispensationibus surreptitiae dolo  
seq; , ut plerunq; fit, obtentis uel obtainendis, qui  
bus ista putant indulgeri. Ultimo loco, pro instru  
ctione, präfertim Pastorum, aliorumq; uerbi Dei  
prädicatorum, ac sacris ordinibus insignitorū, atq;  
adeo omnium Christifidelium, qui in sacris litteris  
doctrināq; Catholica minus solide fundati sunt,  
appositi sunt triginta duo Articuli, Orthodoxam

Fidem

L E C T O R I

Fidem ac Religionem respicientes, dudum à sacrae  
Theologiae professoribus Louaniens. Vniuersita-  
tis concepti & in lucem dati, ex quibus unusquisq;  
sine labore discere poterit, quid in his qua hac tem-  
pestate inter Catholicos & haereticos contro-  
uersa sunt, credi, teneri, doceriq; debeat.

Tuum itaque erit candide Lector,

eadē grataanter alacriterq; am-

plecti atq; suscipere, unde

non modicam uolu-

ptatem & utili-

tatem sis

per

cepturus, Vale.



# N nomi-

ne Domini, Amen.  
Tenore præsentis publi  
ci Instrumenti, Cunctis  
notum sit & manifestum  
Quod Anno à Nativitate  
eiusdem Domini Mil

Iesimo Quingentesimo quadragesimo octavo, In  
dictione sexta, Mensis Nouembri, Die septima,  
(ad quam synodus Diceciana per literas paten  
tes Reuerendissimi & Illusterrissimi Principis & Do  
mini, Domini GEORGII AB AVSTRIA, Episco  
pi Leodiensis, Praelatis Patribusq; eidem Synodo  
de iure uel consuetudine interesse habentibus: In  
Civitate Leodiensi celebranda indicta fuit, sub te  
nore infrascripto (hora circiter octaua ante meri  
diem, Pontificatus Sanctissimi in Christo Pa  
tris & Domini nostri, Dominis a vi Diuina pro  
uidentia Papæ tertii, Anno decimo quinto, In no  
stra Notariorum & Testium infrascriptorum, ad  
hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsen  
tia, Antedictus Reuerendissimus Princeps, comi  
tatus Praelatis & Patribus infra designandis, qui  
pridie comparuerant, copiosaq; populi concur  
rentis multitudine stipatus, cōparuit in choro ma  
iori Ecclesiae Leodiensis, ipse quidem indumentis  
Pontificalibus amictus, mitramq; in capite gestas  
Abbes cum insignibus Abbatialis dignitatis, sine  
mitris, Decanus & Archidiaconi dictæ maioris Ec  
clesiae, cum cappis pretiosis: Canonici autem ciu  
l

B

sdem.

## A C T A S Y N O D.

Sdem maioris & collegiarum ecclesiarum intra-  
nearum & extranearum: Decani cum superpellis-  
ceis & almutiis. Archipresbyteri seu Decani rura-  
les, cum albis manipulis & stolis, absq; casulis. Pri-  
ores uero in suo consueto habitu regulari. Quibus  
ordine confidentibus, primum omnium celebrata  
est à Reuerendo in Christo Patre, domino Gedeo-  
ne vander Grachr, Episcopo Castoriensi, ac suffra-  
ganeo Leodiensi, Missa solemnis de Sancto Spiritu,  
pro obtainenda gratia ipsam Synodus salubri-  
ter inchoandi, fructuoseq; terminandi. Qua abso-  
luta, statim cuncti pariter se receperunt in Capitu-  
lum maius, quod in clauistro dictæ primariæ Eccle-  
siæ siti est, Vbi uenerabilis & eximus sacrae Theo-  
logiæ professor, ac uerbi Dei prædicator egregius  
Frater Georgius Sylvius, Prior conuentus Præ-  
dicatorum Leodien. orationem habuit Latinam,  
piam, & elegantem: Qua hoc in summa egit, ut  
ostenderet propter corruptos Christiani populi,  
& præsertim cleri mores, multipliciæq; scelera, &  
nimis collapsam disciplinam, iusto Dei iudicio, tot  
perniciosas hæreses hac tempestate natas esse, tan-  
taq; in Repub. Christiana (& præsertim in Germa-  
nica natione) scandala, calamitates & perturba-  
tiones emergisse, nec aliam superesse uiam, ac ratio-  
nem Neum iratum nobis repropiciandi, calamita-  
tesq; uel iam prementes euadendi, uel grauiores  
imminentes auertendi, quam si mores depravati in  
melius reformaretur, & in primis Ecclesiastici præ-  
starent quæ sui sunt officii, ac omnes pariter iugo  
disciplinæ Euangelicæ colla submitterent, eaq; de  
causa dudum in nouissimis Comitiis Augustanis

## LEODIEN.

ex ordinatione Cæsareae Maiestatis statuumq; Imperii conceptam, approbatam, & publicatam suis se quandam Reformationis formulam, perutilem & sacris literis, sanctorumq; Patrum decretis, per omnia consentaneam: Ad quam insinuandam, necnon ad consultandum unâ cum Patribus, de congruis modis ac mediis quibus executioni mandanda esset, Synodum istam ex mandato Reuerendissimi, tanquam unius ex Imperii Principibus & Episcopis suisse conuocatam, Cuins lectionem mox essent audituri. Hac oratione finita, uir eruditus ac facundus M. Rutgerus Verlerius, ipsius Reuerend. à Secretis, consenso pulpite, primo dictas literas, seu mandatum conuocationis ad Synodum, Deinde eandem Reformationis formulam, alta & intelligibili uoce, de uerbo ad uerbum recitauit, à capite usque ad calcem. Et quoniam lectio absolute hora tardior erat, iusl Reuerend. Domini significatum est ad Synodum citatis, & ibidem præsentibus, ut postridie ad eandem horam ( scilicet octauam ) mane adessent in capitulo minori, quod Sacrario uicinum est, tractationem negotiorum ( propter quæ Synodus coacta erat ) aggressuri.

O C T A V A igitur die Reuerendissimo domino in propria persona, unâ cum dicto, suæ gratiæ suffraganeo, cæterisq; Patribus Synodalibus, in prætacto loco Capitulari conuentibus, Primi jussus est recitari catalogus eorum qui ad Synodum uocati fuerant, & eidem interesse debebant, Quo constare posset, qui nam eorum, literis ac mandatis conuocationis prænarratae paruissent, & qui adesse contempserint, uel

B ii neglexissent.

## ACTA SYNOD.

neglexissent, commendataq; comparentium obedientia, & eorum qui nulla legitima causa prohibiti adesse neglexerant, nec se legitime excusaerant, accusata contumacia. Continuo iussu dicti Reuerendissimi, Reuerendus & Generosus Dominus VVilhelmus à Pictavia, dictæ Ecclesiae Leodiens. Canonicus & Scholasticus, ipiusq; Reuerend. D. Cancellarius, exposuit patribus causam cur G. S. Reuerendiss. conuentum hunc Synodalem indixisset: ut scilicet ordinationi dictæ Cæsareæ Maiest. & ordinum Imperii, in dictis postremis comitiis Augustanis factæ de celebrandis in unaquaq; dicecensi per Germaniam Synodis Episcopatibus seu dicecesanis, circiter festum s. Martini, ex tunc proxime futurum, deq; publicanda in eis prædicta reformatiōis formula, quæ in eisdem comitiis iussu dictæ Cæsareæ Maiestatis, à uiris ali quo uita & sacrarum literarum canonumq; Ecclesiasticorum peritia præstantibus, primum concepta, Deinde à Principib; Ecclesiasticis examinata ac probata, & ad extreum ab omnibus pariter Imperii ordinibus recepta & promulgata fuit, satis faceret, & Reuerend. domino Archiepiscopo Coloniensi, Metropolitano suo, cæterisq; Germaniae Episcopis, sese conformaret. Proindeq; G. S. hortaretur eos omnes & singulos, ut ipsam Reformationem, hoc tempore prorsus necessariam, & rationati atq; honestati maxime consonam, obedienter beneuoleq; susciperent, inxtaq; eā singuli, tam seipso, quam regimini suo commissos (pro quibus rationem reddituri essent) emendare satagerent, quo solitis abusibus, excessibusq; correctis omnib;

## LEODIEN.

omnique scandalorum materia sublata, pax & tranquillitas Ecclesiae reddi posset. Qua adhortatione præmissa G. S. per eundem Cancellarium palam declarari fecit omnibus, se ( quantum personam suam & ordinem dignitatē modestia respiceret ) dictæ reformationis formulæ, per omnia satisfacere uelle, daturum quoque operam, ut & officiales & ministri sui, eandem obseruarent. Et ne patres præsentes existimarent aut suspicarentur G. S. prætex tuistius reformationis, priuilegiis eorum rationabilibus, præjudicare uelle: utque omnis contradicendi occasio tolleretur, ut etiam Synodus ipsa citius atque commodius absolui posset, permisit eidem, ut ex singulis statibus seu ordinibus, nonnullos deparent, qui unâ cum deputatis G. S. dispicerent, quomodo ( sine eorundem priuilegiorum præiudicio ) dicta formula in hac dicecessi commode practicari, ac seruari posset. Hiis ex parte Reuerend, præmissis statim dictus Reuerendus pater, dominus Suffraganeus, & post eum Reuerendi domini maioris Ecclesiae Decanus, necnon Campinæ & Hannoniæ Archidiaconi, & post eos Reuerendi patres Abbates, & Priors, Collegiarumque ecclesiistarum tam extranearum, quam intranearū De cani, & Archipresbyteri, seu Decani rurales, pars uidelicet eorū simpliciter: alii uero sub certis protestationibus, per nos ( præsentis Synodi Notarios ) apud illius communia acta latius registratis, dictam Reformationis formulam, beneuolè acceptarunt, ad se, ( unâ cum sibi & regimini suo commissis ) iuxta illam reformare uelle, profensi sunt. Deinde singuli ordines, suos designarunt deputatos

## A C T A S Y N O D :

tos, qui (ut supradictum est) unà cum deputatis  
Reuerendiss. inter se disquirerent & consultarent,  
de congruis modis ac rationibus, dictam Refor-  
mationem ad effectum & executionem deducen-  
di: Qui quidem deputati, eadem die à prandio &  
subsequentibus aliquot diebus, pariter conuenien-  
tes, & datam sibi prouinciam magna cum diligen-  
tia, & absq; intermissione prosequentes. Tandem  
decima tertia supra dicti Mensis Nouembris, quæ  
dam inter se concepta, ac in formā mandati ipsius  
Reuerendissimi Domini, & constitutionum Syno-  
dalium redacta, ad patres ea de causa iterum con-  
uocatos & in dicto minori Capitulo comparentes  
præsente eodem Reuerendiss. retulerunt, coramq;  
dictis Patribus, clara uoce lesta, & omnium desu-  
per calculis (sub prætractis tamen protestationibus  
ibidem denuo repetitis, & illis saluis) approbata  
& accepta fuerunt. Quibus omnibus præscripto  
ordine peractis, ipse quoq; Reuerendiss. per se-  
ipsum declarauit, quod sicut protestationes à qui-  
busdam ipsis nū die octrava interpositas, iamq; per  
eosdem repetitas G. S. benigne audinerat, ita ipse  
quoq; sibi protestandum putauit: Et protestabatur,  
se nō intendere, quod per illas authoritatibus  
ordinariæ in aliquo præiudicari, uel dicta Refor-  
matio & eius executio, quoquomodo deberet im-  
pediri. Tandemq; ordinatum est, ut die Decima  
quarta ad horam nonam cuncti in Choro maiori  
adessent, singuli eo habitu, quo prima die compa-  
ruerant. Primo missam de sancta Trinitate à dicto  
R. P. Domino suffraganeo solemniter decantan-  
dam pro gratiarum actione: Deinde dictimanda-

## LEODIEN.

xi, seu constitutionum Synodalium, iteratam relationem, audituri: Quibus eadem die decima quarta peractis, & benedictione Episcopali à Reuerendissimo, casula, mitra, & superhumerali, cæterisq; Pontificalibus induito, omnibus impertita, Synodus ipsa soluta fuit: & omnibus concessum, ut ad propria remearent. Præter supradictos uero deputatos, designati fuerunt & alii aliquot viri cordati ( quorum præcipuus erat dictus R . D . Suffraganeus) qui omnium & singulorum querimonias, & grauamina, prout in Synodis fieri consuevit audi rent, & audita, ad Synodum referrent: quod & fecerunt, plurimiq; libellos supplices receperunt. Verum quia Patribus postea uisum fuit, paucos illos dies ( quibus Synodus celebrabatur) non sufficere (ad omnium per Diœcesim cōqueri uolentium) grauamina audienda, & discutienda, dicta die decimatria Nouembri, qua penultima sessio habita fuit, prorogatum est tempus exponendorum, examinandorum, ac definiendorum huiusmodi grauaminum, usque Natiuitatem Domini proxime futuram: quæ temporis prorogatio, etiam ad hoc concessa est, ut si qui ex uocatis ad Synodum, & non comparentibus, absentiā suam interim excusare uellent, huiusmodi prorogatione durante, hoc ipsum facere possent. De & super quibus præmissis omnibus & singulis, tam prælibatus Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps & Dominus D . Georgius ab Austria Episcopus Leodiensis, quam prænominati & inferius latius descripti, Reuerendi Patres antedictæ sacrosanctæ Synodo interessentes, ipsis respectiue à nobis infra scriptis

Notariis

## A C T A S Y N O D .

Notariis, unum uel plura, publicum seu publica,  
hieri, consci, atq; tradi petierunt in meliori forma  
instrumentum seu instrumenta. A C T A fuerunt  
& sunt hæc successiue & respectiue Leodii, in lo-  
cis praedesignatis, sub Anno, Indictione, Mense,  
Diebus, Horis, & Pontificatu superscriptis, in præ-  
sentia eorundem Reuerendissimi Domini Episco-  
pi Leodiensis, & Reuerendorum patrum, Gedeo-  
nis vander Gracht, Episcopo Castoriensi, eiusdem  
Reuerendiss. D. Episcopi Suffraganei, Geardi à  
Groesbeck, supractæ maioris Ecclesie Leodi-  
ens Decani, nec non Campiniæ, & Hannoniæ re-  
spectiue Archidiaconorum, in eadem ecclesia atq;  
sancti Laurentii prope & extra muros ciuitatis Le-  
odiens, sancti Iacobi in eadem ciuitate, Vvalsodo-  
riensis, Vlierbacensis, Florinensis, ordinis sancti  
Benedicti, Aluenis, Vallis sancti Lamberti, Vallis  
Dei, de mollinis, Boneffiensis sancti Remigii or-  
dinis Cisterciensis, Floreffiensis, Parcensis, Helle-  
chimensis, Aeuerbodiensis, Lessensis, Bellireditus  
Leodiens, ordinis Præmonstraten sis. Flonenis  
prope Huyum, sancti Gertrudis Louaniensis, Ma-  
lomens, ordinis, Canonicorum regularium sancti  
Augustini respectiue Abbatum, sanctorum Petri,  
Martini, Crucis, Ioannis Euangelistæ, Dionysi  
& Bartholomai in Leodio, Beate Mariæ Tögren-  
sis, Aquensis, Sancti Seruati Traiectensis, B. Ma-  
rie Traiectensis, sancti Petri Louaniensis, sancti Ioan-  
nis Buscoducens, Beatae Mariæ Huyen sis, sancti Al-  
bani ibidem sancti Adelberti, Aquæf. B. Mariæ. Dio-  
natensis, Molhaniæf. Thudiniæf. Florinensi. Cyma-  
cæf. Fossæf. Scladinæf. Corthescemæf. Losiens, The-  
nenis.

## LEODIEN.

mens, Diestensis, Leuwenfis, Sancti Spiritus Rure  
 mundensis, Eykens, Bergenfis supra Zomā, Beec  
 kens, Fydouiensis, & Grauiensis Collegiatarum  
 ecclesiarum, patriæ & dicecessis Leodienfis Deca-  
 norum, atq; diui Pauli Leodiens. Vicedecani, Nec-  
 non Valcuriensis, Hauzuiensis Cennacens. Has-  
 souienf. Viletenfis, Hugardiensis, ecclesiarum pa-  
 triæ & dicecessis Leodienf. præpositorum Greden  
 sis quoq; , Cymacens. Flerucens, Cennacensis,  
 de Hozemont, Bastoniensis, Stabulensis, Sancti  
 Remaclipontis amari cordis, Vftiensis de Haure-  
 sche, Andanens. Illormens. Rupefortens, Eyc-  
 kensis, Traiectens, Tongrens. Louaniens. Cuy-  
 kensis, Lewensis, Sancti Trudonis Bernigensis,  
 Sutterens. dictarum patriæ & dicecessis Christiani  
 tatum conciliorum Archipresbyterorum siue De-  
 canorum, Vallis scholarum in Leodio, de Leu-  
 wis, de Geroesa, de Huffalizea, Prædicatorū, Car-  
 melitarum, Hospitalis ad cathenam, Sancti sepul-  
 chri ciuitatis Leodiens. Carthusæ prope & extra  
 Leodium, de Bollefageto, de Beenhafays, de Or-  
 me prope Niuellam respectiue Priorum. Præsentि  
 bus etiam honorabilibus ac prouidis uitis & discre-  
 tis dominis Ioanne de Puteo, & Ioanne de Elſt,  
 presbyteris collegii sancti Materni in antetacta ec-  
 clesia Leodiens. Canonicis & clauſtrariis, Ioanne  
 de Et; Petro Hongne, & Mathia Mathajgnō ba-  
 ſtionariis in eadem ecclæ, copiosaq; ſæ pedictarum  
 ciuitatis & dicecessis cleri & populi multitudi-  
 ne, in choro ecclæ Leodiens. prætaciæ congre-  
 gatis, in testes uocatis atq; rogatis.

C.

Ez.

## A C T A S Y N O D.

Et quia nos Ioannes Oemsels presbyter Leo-  
diens, diceces. & Vvalterus Garry Clericus Leo-  
diens, publicis sacris Apostolica & Imperiali aucto-  
ritatibus, Necnon singulorum Synod. actorum  
præscriptorum Notarii specialiter assumpti, quia  
illis dum prout præmituntur, temporibus & lo-  
cis prænarratis successiue & respectiue per Reue-  
rendissimum cæterosq; Reuerend. Patres Synoda-  
les agerentur, præsentes interfuius, ac eas fieri  
uidimus, & in notam sumplimus. Idecirco nos hic  
manibus & subsignaturis nostris minoribus  
contuetis subnotauimus in eorundem  
præmissorum fidem & testimo-  
nium requisitis.

Ioannes Oemsels qui supra Notarius.

Vvalter. Garry, qui supra notarius.

# Tenor literarum cōn-

## VOCATIONIS PATRVM

ad Synodum, de quibus supra fit men-  
tio, sequitur in hac uerba,



## Eorgius

Dei gratia Epi-  
scopus Leo diensis, Dux Bullonen-  
sis, & Comes Loffensis, Vniuersis  
& singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, De-  
canis, tam Collegiatis, quam Ruralibus Diœcesis  
nostræ, sinceram in Domino salutem,

Quandoquidem altissimo omnium bonorum  
largitori placuit sponsam suam sanctam Ecclesiam  
precioso unici filii sui sanguine redemptam, pecca-  
tis nostris exigentibus, plures iam annos ab heret-  
icis ac schismaticis grauiter & periculose nimis fa-  
ctatam & afflstant & perturbatam, tandem cle-  
mentiori oculo respicere, ac Christianiss. ac inui-  
ctissimo Imperatori nostro Carolo, eiusdem san-  
ctæ Ecclesiae & fidei Catholicae feruentiss. fortissi-  
moq; propugnatori aduersus perniciofissimos fa-  
thanæ satellites, quorum superbia, & vires iam ni-  
mis excreuerant, præclaram uitrioram, quasi præ-  
ter omnium expectationem cœlitus concedere.  
Eaq; parta Maiestatis suæ animū studiumq; omne  
ad pessimorum dogmatum ab ipsis hereticis lon-

C ii      ge

## INDICT. SYNOD

glatecꝝ disseminatorum extirpationem , ueræp ꝑ  
dei restitutionem , nec non ad diu desiderata m ab  
omnibus piis , & plusquam necessariam disciplinæ  
Ecclesiasticæ ( superioru n temporum incuria ni-  
mum collapsæ ) Reformationem ( sine qua spes  
non est Deum populo suo unquam placatum iri )  
excitare & accendere dignitus est : eoqꝝ rem perdu-  
xit , ut Formula Reformationis ipsius in nouissi-  
mis Comitiis Augustæ habitis , iussu dictæ Cæsa-  
reæ Maiestatis à viris aliquot zelo , prudentia & fa-  
cilarum literarum & canonum , Sanctorumqꝝ Pa-  
trum peritia præstantibus concepta , atqꝝ à statibus  
Ecclesiasticis sacri Romani Imperii , seu Ecclesiæ  
Germanicæ antistitibus mature expensa , & om̄iū  
consensu pro ipsis cleroqꝝ uniuerso sibi subdito re-  
cepta , quæ etiam nunc est typis excussa , & in pu-  
blicum emissæ , quam & plures uestrum uidisse atqꝝ  
legisse non ambiginus : Nec aliud deinceps restet ,  
quam ut Episcoporum opera , quibus hoc incum-  
bit , in singulorū dicēcesibꝫ quam primum ex-  
ecutioni mandetur . Tantam ergo Dei benignita-  
tem expertos , iustum est in rerū Ecclesiasticarum  
deinceps felicius gerendarū , ecclesiæqꝝ in pristi-  
nam dignitatem restituendæ , optimam spei sepe  
erigere , ipsiqꝝ Deo à quo omne bonum procedit ,  
& qui solus facit mirabilia , ex toto gratias agere ,  
Atqꝝ nunc tandem curandum sedulo , ut quod ad  
iram Dei mitigandam , & beneficia eius promeren-  
da , in primis necessarium est , dicta Reformatio  
à eunctis beneuole suscepta , in mores transmittatur ,  
Singulicꝝ pro sua uocatione & facultate ad ipsius  
Reformationis promotionem pro uiribus fideliter  
cooperen

## D I E O C . L E O D I E N .

cooperentur. Rei igitur de qua agitur pondus, atque Cæsareæ Maiestatis iussio urget & postular, ut pro eorum quæ pro communii salute concepta, editaçq; sunt, & à quibus Ecclesiæ tranquillitas dependet, executione dicecesana Synodus (ut olim in similibus fieri consuevit) iudicatur. Q V A R E uos omnes & singulos authoritate nostra Episcopali, in uirtute sanctæ obedientiæ in Dominore quirimus & monemus, iuxta dictæ Cæsareæ Maiestatis seriam declarationem & mandatum, ut ad Septimam proximam Mensis Nouembris, quam celebrazione synodi nostræ dicecesanæ, pro executione memoratae Reformationis præfigimus, præfixamq; esse uolumus in ciuitate nostra Leodiensi, omni excusatione posthabita, compareatis audiuti à nobis quæ ad hanc rem pertinent, nobiscum qæ consultaturi atq; tractaturi de modo rationeç congrua zizania errorū prauorumq; dogmatum, ab hæreticis, Dei & ueritatis inimicis in medio tritici seminata, eradicandi, & ea quæ ad debitam ac uniformem Sacramentorū administrationem uerbi Dei prædicationem, Necnon Ecclesiasticorum officiorum functionem post hac in Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, & Oratoriis uestris obseruandā pertinere uidebuntur, communicato consilio ordinandi, statuendi, atq; publicandi. Itaque operæ precium fuerit, ut dictæ Reformationes exemplaria, quæ publicæ prostant, diligenter à nobis lecta, expensa, atq; discussa, iis qui uobis subsunt, seu curæ uestræ commissi sunt, statim intimetis & prælegatis, ut interim defectibus, quos quisque uestrum apud suos in genere uel in specie, publice uel priuatim,

## INDICT SYNOD. LEO:

tim inuenierit, collectis, annotatis, ac memoriae mā  
datis de eisdem fidelem ac ueracem (sicuti tenemi  
ni) in ipsa Synodo relationem facere, atq; congru  
am eorundem emendationem, prout ex conscientia  
tenemini, promouere ualeatis, & quisq; uestrum  
ualeat. Denuntiamus autem uobis omnibus &  
singulis praedictis, praesentium per tenorem, ut si  
ue ad dictam diem Synodo praefixam comparue  
ritis siue non, nos nihilominus ad dictæ Reforma  
tionis executionem, & alia quæ ratio posceret, pro  
iniuncto nobis officio processuros, eorum qui abe  
runt contumacia non obstante, in quorum fi  
dem & testimonium praesentes nostras  
literas sigillo nostro infra impresso  
fecimus communiri.

Datum in Ciuitate no  
stra Leodiensi, De  
cima quinta  
mensis  
Octobris. An  
no Domini, Millesimo  
Quingentesimo Quadragesimo  
octauo.

¶ Forma autem dicti Mandati, Constitutio  
numq; Synodalium, quarum superius in actis fit  
mentio, sequitur & est talis.



# EORGIVS

Dei Gratia Episcopus Leodiensis,  
Dux Bullonensis, Comes Loffensis  
&c. Vniuersis & singulis, tam nostræ cathedra  
lis, quam collegiarum ecclesiarum, Decanis &  
Capitulis, Archidiaconis, præpositis, Abbatibus  
& Abbatisss, conciliorum quoq; Decanis, & Ar-  
chipresbyteris, cunctisq; utriusq; sexus personis,  
ad clericalem ordinem statumq; ecclesiasticum per  
tinentibus, tam secularibus, quam quorumuis or-  
dinum regularibus, nostrarum ciuitatis, patriæ &  
diœcesis Leodiensi. Salutem in Domino.

Quanquam ex libello, seu Formula Reformatio-  
nis in postremis Comitiis Imperialibus Augustæ  
celebratis per Imperiale Maiestatem, illiusq; au-  
steritate æditæ, atq; ab omnibus Imperii ordini-  
bus acceptatae, publicatae & seruari iussæ, unicui-  
que uestrum satis innotuisse potest, quemadmo-  
dum clericis atq; personis Ecclesiasticis deinceps  
uiuendum sit, & in quibus se reformare, emenda-  
reçq; debeant. Quia tamen non satis est, nosse quæ  
facienda sunt, nisi & opere impleantur, præceptaq;  
salubria in mores transeant, Idq; ut fiat, Episcopi  
& Imperii Principes (de quorum numero dispo-  
nente domino, sumus) pro sua quisq; uirili apud si-  
bi commissos & subditos, curare debent. Non ab-  
reputauimus uobis & cunctis significare, Nos ad  
promouendum gloriam Dei, & animarum nobis  
creditarum salutem firmiter statuisse, ac resolutos  
esse  
enim

## DECRETA SYNODI.

esse, dictam Reformationem, per nostras ciuitatem, patriam & diccesim, strenue & absq; simulatione, uel personarum acceptione exequi. Idque eo facturos libentius, quod eadem Reformatio (præterquam quod hoc in felici seculo quo omnis caro corripit uiam suam, præsertimq; ordo clericorum, & Ecclesiasticorum nimium degenerant, plus quam unquam est necessaria) etiam sacris lituris Sanctorumq; Patrum decretis, & rectioni comperiatur cōsentanea, ut nemo nisi maleuolus, ac deploratus, eam ullo colore uel prætextu detraetari possit. Quo circa uos omnes & singulos in Domino hortamur, serioq; & in uirtute sanctæ obedientiae requirimus, ut memores uocationis uestræ & dignitatis, ordinis clericalis, ac Sacerdotalis cui uos mancipasti, Necnon etiam stricte rationis à uobis exigendæ, Reformationem ipsam bene uolè & ex animo suscipientes omni studio accingamini ad eam (quantum quenque uestrum respicit) opere exequandam, & quæ unusquisque uestrum in sua, uel regimini suo commissorum, uita ac moribus, habituq; & aliis reformatione indigere cognouerit, sic reformare satagat, ut & Deus nostris excessibus offensus placari possit, & hi qui de nobis scandalizati sunt, uidentes emendationem nostram, rursus & discentur & Deum in nobis glorificant.

Ut autem dicta Reformatio feliciorem expediitionemq; sortiatur executionem, de consilio & una n<sup>o</sup>mi consensu uenerabilium Patrum & Domini-  
rum, in Sancta Synodo nostra dicecesana in Do-  
mino

LEODIEN.

mino congregatorum, Nonnulla ad hanc rem con-  
ducentia, statuenda & ordinanda duximus, quæ  
sequuntur

# De non promouen-

DIS INDIGNIS.



T primo, ad obuiandum promotionibus indignorum ad sacros Ordines, dignitates Ecclesiasticas, & curas pastorales, earumq; deseruitas, statuimus & ordinamus, ut quisquis post hac ad sacram Subdiaconatus ordinem promoueriuoluerit, feria quarta quatuor temporum, ad horam septimam ante meridiem: qui uero ad Diaconatum, uel Sacerdotium, quinta feria eadem hora in ciuitate nostra Leodiensi compareat, adferens secum testimonium legitimum sui Pastoris aut Vicepastoris seu præceptorum, aut aliorum proborum virorum, qui ipsius ordinandi uitam & mores nouerint, eumq; suis literis talem esse testentur, quales dictæ Reformationis formula promouendos ad huiusmodi ordines esse requirit: & nisi talis compertus ac iudicatus fuerit ab illis quos in ciuitate nostra Leodiensi ad examen morum & literaturæ specialiter deputabimus, ad dictos ordines respectiue non admittantur.

D. de

DECRETA SYNOD;  
DE EXAMINE PRO-  
mouendorum.



Ari modo ad probandam idoneitatem seu dignitatem uel indigenitatem eorum , qui ad dignitates Ecclesiasticas, electi uel assumpiti, uel ad Ecclesiastis parochiales, earumue deseruituras , præsentati seu nominati fuerint, Volamus eos, atque unumquemque eorum, per viros doctos & probos, quos similiter in dicta ciuitate nostra deputabimus, super uita, moribus & literarum Scientia , ad huiusmodi dignitates , Parochiales ecclesiastis earumque deseruituras respectiue requisitis , diligenter examinari: ita tamen, ut si ecclesiae huiusmodi in ea parte Brabantie, Hollandie uel Zelandie, quæ huic nostræ dicecesi subest, sitæ sint electi ac præsentati , seu nominati ad easdem uel earum deseruituras , per deputandos à nobis in Brabantia , in loco ubi curiam nostram residere contigerit, debeant super iis quæ dicta sunt examinari. Et qui testimonio deputandorum ad quos pertinet, pronuntiati erunt idonei, ab illis quibus incumbit Pastores instituere, ac Vicepastores admittere, seu electos confirmare, institui & admitti , ac electiones poterunt confirmari ; Solito interim examine super reliquis qualitatibus, tam ad supradictos ordines sacros, quam ad dignitates huiusmodi, uel curas Pastorales requisitis , puta super electorum uel præsentatorum personis, electionumque ualiditate uel inualiditate, Vicario nostro & Officiali , aliisq; ad quos pertinet, reseruato. Quemadmodum

## LEODIEN.

modum etiam examen causarum propter quas ue-  
xi pastores à personali apud ecclesias suas residen-  
tia excusari petent penes nos seu vicariū nostrū,  
& Archidiaconos sicut hactenus remanere uolu-  
mus.

## Q D E Q V A L I T A T E I N- stituendorum in Ecclesiis uel dignitatibus.

 Vo circa de dictæ Synodi consilio  
mandamus, ut omnes & singuli ad  
quos pertinet, de Ecclesiis parochi-  
alibus, uel quibuscumq; dignitati-  
bus Ecclesiasticis huius nostræ dice-  
cessis, siue per viam collationis, præ-  
sentationis uel electionis, siue per aliam quācun-  
que prouidere, seu ecclesiarum deseruitores ueris.  
Pastoribus absentibus admittere tales designent,  
præsentent, eligant, & admittant, quales iam di-  
cta Formula describit, Alioqui ad ecclesias Paro-  
chiales, earumque deseruituras præsentatos, ab Ar-  
chidiaconis & aliis ad quos præsentatorum insti-  
tutio seu deseritorum admissio pertinet de huiu-  
smodi ecclesiis inuestiri, uel ad earum deserui-  
turas nequaquam uolumus admitti. Ne-  
que electos ad dignitates per Vica-  
rium nostrum, aut quemcun-  
que alium confirmari.

D*icitur*

D*e*

DECRETA SYNOD.  
¶ DE MODO CELEBRAN  
di Diuinum officium.



Nsuper ad emendādum magnos & notabiles defectus Canonicorum, Capellanorum, & aliorum Diuinis officiis mancipatorum, qui circa frequentationem horarum Canonica rum, ceteroru[m]q[ue] Ecclesiasticorum officiorum, illis incumbentium, hactenus in multis Ecclesiis, præsertim Collegiatis, non sine magno populi scandalo contigerunt, auctoritate nostra, Sanctæq[ue] Synodi præcipimus & mandamus, ut deinceps in omnibus & singulis Ecclesiis nostræ dicecessis, in quibus horæ Canonice collegialiter decantantur, iuxta uniuscuiusq[ue] Ecclesiæ dignitatem & facultates (habita ratione eorum, quæ ad dictum usum relicta) instituantur distributiones, ubi tamen non sunt institutæ, præsertim pro unaquaquæ trium horarum principalium, scilicet Matutinarum, Summæ missæ, & Vesperarum, quas soli illi qui huiusmodi horis seu officiis à principio usque ad finem interfuerunt, idq[ue] in habitu uniformi, taliq[ue] quam temporis conditio requirit, percipient.

**A**dem quoque auctoritate districte præcipimus omnibus & singulis Canonicis, Capellanis & Ecclesiærum ministris supradictis, ut à uagationibus & obambulationibus quæ in multis locis tempore diuinorum officiorum in Ecclesiis, uel intra illarum immunitates cum graui laicorum

## LEODIEN.

laicorum scandalo, & ipsorum ambulantium ani-  
marum periculo, fieri solent, deinceps abstineant :  
Alioqui distributiones illius horæ seu illarum ho-  
tarum, sub qua uel quibus hoc facere præsumpe-  
runt, penitus amittant.

## ¶ Q VI G A V D E R E P O S- sint Vniuersitatum priuilegiis.

**M**olumus etiam & mandamus, ut in  
Vniuersitate oppidi Louaniens. aut  
alia quacunqz, nulli nisi ad studia li-  
terarum idonei , & illarum gratia  
principaliter se ad Vniuersitatē con-  
terentes, insupposita , & ad usum  
priuilegiorum huiusmodi Vniuersitatis recipian-  
tur, aut suorum beneficiorum fructibus eo præte-  
xtu gaudеant, nec recepti, ipsis priuilegiis , ac be-  
neficiorum fructibus utiliatur, nisi quāndiu cau-  
sa studii permanserint, & spes sit quod ex studio  
suo fructum uberiorem in Ecclesia Dei sint pa-  
rituri. Qui uero desides & otiosi comper-  
ti fuerint, ab eorundem priuilegiorū  
usu & fructuum perceptione  
repellantur.

Et

## DECRETA SYNOD.

**D**T quia in multis particularibus seu minoribus scholis, iuuentus haclenius parum re-  
**D**ate Christianæque instituta est, illos solos posse hac in huiusmodi scholis, prælegi uolumus authores Grammaticos, Dialecticos, Oratores, atq; Poetas, quos patentibus nostris literis, breui designatur sumus. Quibus etiam titulos ac nomina librorum, praua dogmata continentium, proptereaq; ab omnibus uitandorum, pariter exprime mus.

## DE ASSVMENDO IN qualibet opulentiori ecclesia Theo- logo, qui sacras profiteatur literas.



Adem quoq; auctoritate statuimus & ordinamus, ut in ciuitate nostra Leodiensi communibus maioris, & secundiarum Ecclesiarum expensis, assumatur Theologus, qui Canonicis & aliis beneficiatis earundem ecclesiarum, ceterisq; comparere uolentibus sacras literas (præcipue illas, quæ in ecclesiasticis officiis leguntur) publice prælegat, profiteatur, & exponat. Idemq; in Traiectensi & Aqui- granensi, ac aliis Canonorum collegiis opulentioribus fieri uolumus.

LEODIEN.  
DE MODO DISPENSANDO  
di bona pauperibus relicta.



Raterea, ut hospitalia & alia quælibet pia loca huius nostræ dicecesis in quibus bona aliqua in usus pauperum relicta, fundataq; sunt, dein ceps fideliter regantur, statuimus & ordinamus, ut bona huiusmodi per eorundem receptores & administratores in illos duntaxat usus. in quos pia fidelium largitione relicta sunt, ea fide & integritate erogentur & distribuantur, ut de fidelis eorundem dispensatione, per visitatores a nobis deputandos ( quantum ad ea quorum cura, tutela atq; protectio nobis incumbit ) nobis legitime constare possit. Quantum uero ad illa hospitalia & bona quorum administration seu distributio Abbatibus, Abbatissis, Praepositis, Prioribus, Decanis & Capitulis, uel aliis qui buslibet credita est, Volumus ut per illos ad quos eorundem visitatio & superintendencia ex fundatione, contuetudine uel priuilegio pertinet, in praesentia alicuius ex tibis personis per nos in ciuitate nostra Leodiensi. & totidem in Brabantia nomi nandi, quem ipsi visitatores eligendū duxerint per inspectionem antiquorum monumentorum registorum, & quorumlibet aliorum documentorum bona, & fundationes huiusmodi concernentium, cum omni diligentia inquiratur, quid & quantum in pauperum sustentationem relictum sit, & quam fideliter distributum, & hoc pro ista uice duntaxae & sine præjudicio tam Articulorum dictæ Reformatio-

DECRETA SYNOD.  
mationis, quam priuilegiorum dictis Monasterijs,  
seu Collegiis concessorum.

¶ Q VI A D D O C E N D V M  
uerbum Dei ex Mendicantibus  
admitti debeant.



Tem uolumus & ordinamus, ut ex ordinibus Mendicatiū, nulli post hac ad prædicationem uerbi Dei admittantur, nisi exactiore & diligenter quam hactenus, præcedente examine, per literas testimoniales suorum Prouincialium ac Guardianorum, seu Priorum, tanquam iuxta Reformationis tenorem, ac alias idonei nobis præsentati, ac per nos admissi fuerint, & iam admissos, dicti ipsorum Guardiani, seu Piores, tenebuntur ferio adhortari ac monere ut iuxta regulam in ipsa Reformationis Formula præscriptam, populum doceant, caueantq; ne contra eādem quicquam temerè efficiat, unde auditores male edificari, uel ad contemptum seu minorem estimationem uerbi Dei pro uocari posint.

DE

## TOLEODIEN.

**Q** DE CONCESSA ABSOLU  
uendiauctoritate in casibus Ordina  
rio reseruatis.



Nsuper ut conscientiis timoratis &  
animalium saluti promptius efficac  
iusq; consulatur, Omnibus & sin  
gulis pastoribus & Vicepastoribus  
Nec non quatuor ordinum mendi  
cantum Guardianis ac Prioribus,  
potestatem absoluendi à casibus nobis de iure uel  
per statuta Synodalia reseruatis, concedimus & e  
largimur, licebitq; unicuique ipsorum Priorum &  
Guardianorum, unum ex illis, quos ad prædicand  
duni præsentabunt, nobis designare, cui similem à  
dictis casibus absoluendi facultatem impatriemur,  
quam aliis per nos uel uicarium nostrum antea cō  
cessam, adimus & reuocamus.

**Q** Q V O T E M P O R E S A C R A  
celebrari non debeant.

**D** Tem ordinamus, ut in ecclesiis Pa  
rochialibus non collegiatis, sub mis  
sa maiori, diebus Dominicis & fe  
stis celebribus, & tam in his quām  
collegiatis ecclesiis, tempore prædi  
cationis uerbi Dei, ab aliarum mis  
sarum celebratione abstineatur, ne occasio detur  
populo, huc illucq; discurrendi, missamq; Pa  
rochialem, aut uerbum Dei negli  
gentius audiendi.

E

DECRETA SYNOD.  
¶ DE NUMERO SVSCER-  
ptorum & susceptricium.



N Baptismo infantium , nos plures  
à parentibus eorundem adhibeantur , aut à Sacerdotibus baptisanti  
bus admittantur susceptores ac su-  
sceptrices , quām quatuor , aut ad  
summum quinqꝫ, habita ratione se-  
xus ipsius bap tisandi .

¶ DE SOLEMNIBVS MA-  
trimonii.



D hæc ut abusibus magnaꝫ confu-  
sioni , quæ in contractu sponsalium  
ac matrimonii committi solent , oc-  
curratur , auctoritate nostra & Sy-  
nodi statuimus & ordinamus , ut  
qui deinceps matrimonialiter con-  
iungi uoluerint , coram alterius ipsoru Pastore seu  
Vicepastore , & nō coram aliis Sacerdotibus spon-  
salia contrahant , nec ad contrahendum matrimo-  
nium , nisi præuii tribus proclamationibus ( quas  
tribus Dominicis uel festis , saltem uno die interme-  
dio ab inuicem distantibus , in ecclesia sub sermone  
uel post euangelium summæ Missæ , populo ad di-  
uina audienda congregato , solemniter fieri uolu-  
mus ) procedere præsumant : Salua tamen Archi-  
diaconis , aliisqꝫ Prælatis , proclamationes remit-  
tendi facultatem habentibus potestate , duas ex tri-  
bus remittendi . Quo tamen casu non poterit Pa-  
stor

## LEODIEN.

stor illos ad contrahendum matrimonium admittere, nisi tertiam ( quæ remitti non poterit ) proclamacionem modo supradicto præmisserit. Interque eandem & contractum solemnizationemq; huiusmodi, unus ut minimum dies intercesserit; Vbi vero trina huiusmodi proclamatione, seu duabus remissis una præcesserit, deq; spontaneo & libero contrahere uolentium consensu , & quod nullum Canonicum obstet impedimentum, Pastori seu Vice pastori eorum: seu alterius ex ipsis ( si diuersarum sint parochiarum ) per literas testimoniales consuetas legitime constiterit, licebit Pastori uel Vicepastori alterutrius eorum, quem ad hoc requisuerint, eos in ecclesia hora summae Missæ , & aliter minime coniungere. Qui sic coniuncti, missam tenebuntur audire, nisi consuetudo quod eam ante matrimonii solemnizatiōnē audire possint, permittat, nostra in præmissis auctoritate salua. Honamur nihilominus dictos Archidiaconos , aliosque Prælatos, ut non passim aut promiscue, sed legitima duntaxat & rationabili subsistente causa, super dictis duabus proclamationibus dispensent.

**P**rohibemus etiam districte sub pœna excommunicationis, ne dicecisis nostræ Sacerdotes, contra huius nostræ dicecisanæ Synodi formam & ordinationem præsumant aliquos matrimonialiter coniungere, neve Nobiles castra uel capellas quibus præsunt habentes, sub cuiusuis libertatis uel consuetudinis pretextu , in eisdem id fieri permittant.

## DECRETA SYNOD.

## DE TOLLENDO CON-

cubinatu.



Aeterum , quia inter omnia crimi-  
na atq; flagitia, nullū est quod per-  
sonas ecclesiasticas , in fortem Dei  
peculiariter electas, magis dedeco-  
ret atq; deshonestet, ac diuina tra-  
stantia indigniores reddat , quam  
incontiaentia , & inhonestia cum mulieribus com-  
mercia, Omnes & singulos Subdiaconos, Dia-  
conos, & Sacerdotes, & alios quoscunq; clericos be-  
neficiatos, uel ecclesiae ministros, districte requiri-  
mus & monemus, ut qui concubinas, uel quascun-  
que mulieres suspectas, cum quibus antehac de for-  
nicatione diffamati fuerint, tenent ac fouent, seu  
quibus cum scandalo populi adhærent, eisdem in-  
tra quindecim dierū spatiū, post publicationem  
præsentij (quos pro peremptoria & canonica mo-  
nitione ipsis præfigimus ( à suis cohabitatione, con-  
sortioq; amoueant, Alioqui sententiam suspensi-  
onis ab officio & beneficio ( quam ferimus in his  
scriptis) se nouerint incurrisse. Ipsiſ uero mulieres  
quaे post dictos quindecim dies in domibus dicto-  
rum Clericorum repertæ fuerint permanisse, uel  
permanere, aut alias suspectam cum eisdem con-  
uersationem non dimisisse, per Officiales nostros,  
& Decanos rurales, auctoritatenostra, excommu-  
nicari uolumus, & excommunicatas denunciari.  
Idem quoq; fieri uolumus per illos, ad quos ( de  
legitimæ præscripta consuetudine uel priuilegio )  
pertinet huiusmodi excessus corrigeret, ne nos id  
ipsum

ipsum facere, & illorum negligentiam supplere co-  
gamur.

**Q D E T O L L E N D A P L V-**  
ralitate beneficiorum.



Tem ad restringendam irrationali-  
lem & scandalosam beneficiorum  
(praeferim quibus cura animarum  
annexa est) pluralitatem, auctori-  
tate nostra & Synodi huius præcipi-  
mus omnibus & singulis dictæ nostræ personis  
plura beneficia habentibus, ut nobis, seu visitato-  
ribus nostris visitationis tempore, literas dispensa-  
tionum suarum super huiusmodi pluralitate (si  
quas habeant) ostendat. Alioqui uno quod  
maluerint retento, reliqua dimittant  
uiris idoneis personaliter re-  
fidere uolentibus con-  
ferenda.

DECRETA SYNOD.  
DE ASSIGNANDA PA-  
rochis portione Canonica.



Adem quoque auctoritate manda-  
mus omnibus & singulis Visitatori-  
bus per nos deputandis, ut ubi cūq;  
in visitationibus ecclesiarum com-  
pererint Pastores aut Vicarios per  
petuos, quibus uel propter decima-  
rum ipsis ecclesiarum olim in toto uel in parte ablata-  
rum ademptionem, & monasteriis, collegiis & di-  
gnitatibus, uel aliis fundationibus factam incor-  
porationem, uel Canonice portionis eis olim re-  
seruatae, diminutionem à quadraginta annis citra,  
non suppetit unde pro dignitate ecclesiarum sua-  
rum & onerum illis incumbentium decenter & ho-  
neste uiuant, eisdem iuxta dictæ Reformationis te-  
norem, ex decimis incorporatis, de competenti ac  
sufficienti portione prouideant, seu prouidere fa-  
ciant. Similiter ubi inuenient ecclesiarum deserui-  
toribus seu temporalibus uicariis, stipendium ni-  
mis exiguum à ueris pastoribus quibus inferuiunt,  
& pondus æstusq; diei portant, illis interim nihil  
oneris ferentibus, suppeditari. Eisdem Pastoribus  
præscribant tales mercedem, ac portionem ipsis  
deseruentibus, præbendamq; illis ad decenter ho-  
nesteq; uiuendum sufficiat, eamq; ex ecclesiarum  
prouentibus durante eorum uicariatu quot annis  
persolvant, ne uidelicet dicti Pastores uel uicarii  
temporales aut perpetui, propter sufficientis sti-  
pendii seu sustentationis deficitum, occasionem su-  
mant populum indebitis exactiōibus, ultra gra-  
uandi

LE O D I E N D I C  
mandi atque scandalizandi.

DE CLAVDENDIS  
œnopolii.



Tem omnes & singulos Magistra-  
tus, & locorum sub dicecessi nostra  
consistentium Rectores & Officia-  
rios serio requirimus & mādamus,  
ut Oenopolia & tabernas diebus  
Dominicis & festis prohibeant ape-  
riti aut aliquos compotandis eu commessandi gra-  
tia in eis recipi (peregrinis atqz infirmis duntaxat  
exceptis) donec summa Missa fuerit absoluta. Nec  
nou & alio præstare curent, atqz à populo obserua-  
ri faciant, quæ in dicta Reformatione sub titulo de  
disciplina populi præcipiuntur. Quiemadmodum  
omnibus nobis subiectis ut præmissa fideliter  
obseruent, & auctoritate nostra obser-  
uari faciant, serio præcipimus &  
mandamus.

DECRETA SYNOD.  
¶ DE VISITATIONE  
& modo uisitandi.



T quia negotium Reformationis  
potissimum dependet à strenua ui-  
sitatione, sine qua defectus corre-  
ctione indigentes, sciri nequeunt  
& minus corrigi, Omnibus & sin-  
gulis Abbatibus, Archidiaconis,  
Archipresbyteris, Collegatarum ecclesiarum De-  
canis, & aliis quibuscumq; quibus uisitandi officiū  
incumbit, singuli eorum quam citissime fieri po-  
terit, & si non prius, saltem ante proximū sancti Io-  
annis Baptistæ festum suos uisitent respectiue Ar-  
chidiaconatus & iurisdictionis terminos, seu loca  
in quibus uisitandi ius habent: idq; non perfuncto  
riè, sed fideliter, diligenter & serio, quemadmodū  
dicta Reformatio præscribit, quo speratus emen-  
dationis fructus ex ipsis uisitationibus prouenire  
possit. Deq; peracto huiusmodi uisitationis offi-  
cio, nec nō de rebellione & inobedientia ( si quam  
inuenierint ) nos ante iam dictum festum per suas  
literas certiores reddant, quo aduersus ipsos  
rebelles & inobedientes de oportu  
no remedio prouidere  
possimus.

## LEODIEN.

**L**isdem etiam Visitatoribus districtæ præcimus, ut ubi cuncti in locis iurisdictionis suæ deprehenderint monachos aut moniales apostatas, seu fugitiuos, eos corporaliter apprehendi, atque ad monasteria sua reductos prælatis suis tradi faciant, iuxta eorundem arbitriū pœnitentiā acturos.

**S**uper omnia uero solliciti sunt de hæreticis ac de hæresi suspectis uel diffamatis, de quæ hæreticorum fautoribus, receptatoribus atque defensoribus. De libris item hæretica continentibus ac prohibitis, omni studio inuestigare & inquirere, & quæ repererint, inquisitoribus nostris fideliter curent intimare.

**C**aeterum ut ea quæ sub titulo de excommunicatione in dicta Formula habentur, debitam sortiantur executionem, ut quæ abusus iudicium Apostolicorū atque impedimenta, quæ ecclesiastica ordinarie iurisdictioni hactenus præstata sunt tollantur, maturo cum Reuerend. domino Archiepiscopo Coloniensi, Metropolitanō nostro habito consilio prouidebimus, & statuemus tempus quoque quo proxima synodus nostra dicecesana seruari debeat, post celebraztam proximam prouincialem Synodum constituemus.

F

foliis 16b M

DECRETA SYNO'D.  
DE MODO EXEQUEN-  
di præscriptas ordinationes.



Etum Prælatos & omnes quibus  
incumbit delinquentiū excessus cor-  
rigere, serio monemus & requiri-  
mus, ut quæ sunt præscripta (quate-  
nus unumquemq; eorum contingit  
ac respicit) strenue exequantur, suisq; officiis, ut  
oportet fungantur, Alioqui contra eos, quos di-  
cta Maiestatis Imperialis, ordinumq; Imperii, &  
hæc nostra mandata, salubriaq; monita compereris  
mus non seruasse, supradictas & alias in dicta Re-  
formatione contentas penas, absq; dissimulatione  
exequemur, uel ad Cæsaream Maiestatem, alios-  
ue superiores, prout res postulare uidebitur, refe-  
remus. Per præmissa tamen antiquis Synodalibus  
statutis non intendimus derogare, sed in suo illa ro-  
bore uolumus permanere. Datum in ciuitate  
nostra Leodiensi, Anno à nativitate Domini Mil-  
lesimo Quingentesimo Quadragesimo octauo,  
Mensis Nouembri, die decimatertia.

Ad mandatum Reuerend. & Illustrissimi Do-  
mini D. Episcopi Leodiensis, &c. præfati do-  
mini nostri gratiosissimi proprium.

Vveert.  
M. de laillon.



# EORGIVS

Dei Gratia Episcopus Leodiensis,  
Dux Bullonenfis, Comes Loffensis  
&c. Vniuersis & singulis Archidiaconis, Archipre-  
sbyteris, seu Decanis ruralibus, cæterisq; Ecclesia-  
rum ac Monasteriorum Prælatis, Pastoribus quo-  
que ac Plebanis, eorumq; Vicariis nostrarum cui  
taris & dicecessis, synceram in Domino salutem.  
Et si ad obuiandum promotioni indignorum ad  
sacros ordines, in Synodo nostra dicecessana nu-  
per in hac nostra ciuitate celebrata, salubriter pro-  
uidecq; ordinatum est, quod deinceps nemo in dice-  
cessi nostra Leodiensi ad aliquem sacrum ordinem  
admitti debeat, nisi qui prævio examine non quali-  
cunq; sed diligenti ac legitimo super ipsius ordi-  
nandi uita moribusq; & literarum scientia, per no-  
stros ad hoc specialiter deputandos, inuentus fue-  
rit idoneus. Tamen sicut ex fide dignorum insinua-  
tio ne intrea didicimus, nonnulli Clerici eiusdem  
nostræ dicecessis, uel propter conscientiam indigni-  
tatis inscitiazq; suæ non audentes, uel propter pro-  
teruam dediantes huiuscmodi examen subire,  
modum ex cogitarunt quo se confidunt ac etiam ia-  
ctant, dictam ordinationem Synodalem, licet ra-  
tioni ac sacris Canonibus omnino consentaneam,  
necnon hoc corrupto seculo summe necessariam,  
proptereaq; ab omnibus bonis merito acceptan-  
dam, posse frustrari & eludere: Spem uidelicet col-  
locantes in dispensationibus Apostolicis, facile ut

F ii sibi

## DECRETA SYNOD.

sibi pollicentur, impetrandis, quarum prætextu & adminiculo putant se ab extraneis seu ab aliis Episcopis, a quos configurerint, dictos sacros Ordines consecuturos, in eisdemq; postea etiam in hac nostra dioecesi liberè ministraturos. Nos igitur huiusmodi uis obliquis quibus tales dispensationes plerunq; fraudulenter surreptitiae & contra mentem illas concedentium obtineri solent, tacitis iis quæ pro uera illorum informatione exprimi debuerant, obuiare uolentes. Vobis omnibus & singulis, in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis & suspensionis à Diuinis officiis personis districte mandamus, ne post hac aliquem sub prætextu cuiuscunq; dispensationis seu licentiæ, à quo cunq; alio quam à nobis in Ecclesiis, Monasteriis aut Capellis uestris, seu sub uestra iurisdictione sitis, publice uel occulte celebrare, aut in ordinibus sic suscepitis ministrare, nisi prius legitime docuerit te nostram super hoc licentiam obtinuisse: quam nulli dare intendimus, nisi quem deputati nostri compererint attestatiq; fuerint, & probæ uitæ legitimū habere testimonium, & ultra competentem Latinæ linguae peritiam. De iis quæ ad fidem ac Religionem nostram, ecclesiæq; Sacraenta pertinent, ea nosse quæ omnes sacris ordinibus insigniti, merito scire debent. Datum in ciuitate nostra Leodensi, Anno à Natiuitate Domini M. D. XLVIII. Mensis decembris, die XXIII.

Ad mandatum Reuerendissimi & Illustriss.  
Domini, D. Episcopi Leodien. &c. præfati domini nostri gratiosissimi proprium.

Vyeert.

M. de laillon.

FIDEI.

# Decanus & Facultas

THEOLOGIAE LOVANIENSIS,  
omnibus in Christo fidelibus, Salutem.



Agnas quotidie vires in his Regionibus accipit hæreticæ pestis cōtagium, ac nisi occurriatur, futurū prospicimus, ut hic breui plena sint omnia, non solum Lutheranorum, Oecolampadianorum & Anabaptistarum, sed istorum etiam qui nuper obscuris adhuc nominibus emergere cœperunt: nec dici potest, quanto studio teneantur multi clanculum monstra ista alendi. Quare pro officio, quod in ecclesia Dei gerimus, uerbis paucis complexi sumus Articulos certos dogmatum, quæ propter hæreses dictas, ualde expedit hoc tempore, à bonis & Catholicis concionatoribus populo (nam populi causa hanc operam fusce pimus) exponi, fideliterq; & diligenter explicari. Cōscripteramus autem hæc eadem initio aliquanto fusius pauloq; altius repetitis principiis, uerū monentibus postea amicis, consultius fore credimus, si quam simplicissime proponerentur, ad captum etiam imperitissimorum. Porrò eo libenterius rem hanc curauimus, quia certo intelligebamus

## ARTICULI

mus, eandem Cæsareæ Maiest. magnæ curæ esse,  
& quæ ipsius egregia pietas est, ultero etiam istius-  
modi quippiam expetere.

## ¶ Articulus primus.



REDENDV M  
est septem esse ecclesiæ Sa-  
cramenta, à Christo insti-  
tuta: Quæ sunt, Baptis-  
mus, Confirmatio, Eu-  
charistia, Pœnitentia, Ex-  
tremæ unctio, Ordo, &  
Matrimonium. Per quæ  
quāmis externa & cor-  
poralia signa, Deus inuisibiliter (sive per bonos,  
sive per malos ministros) nostram salutem opera-  
tur.

## Articulus Secundus.

Baptismus ad salutem omnibus est necessarius,  
etiam infantibus: per quem peccata plene tol-  
luntur, & sunt filii Dei, achæredes uitæ æter-  
næ, nec unquam est iterandus.

## FIDEI.

### Articulus tertius.

**P**oenitentiae Sacramentum (quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium) complectitur Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem.

### Articulus Quartus.

**C**ontritio, est dolor de peccatis propter Dei offendam suscepimus, cum proposito confitendi & satisfaciendi: non autem (ut quidā hoc seculo perniciose docent) terror conscientiae, propter apprehensum gehennae supplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus, ad ueram animi contritionem.

### Articulus Quintus.

**C**onfessurus, diligentiam legitimam adhibe re deber, quo Sacerdoti iudici suo, manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absoluantur: cuius absolutionis minister est solus Sacerdos, secundum Ecclesiarum ritum consecratus.

### Articulus Sextus.

**S**atisfaction, est persolutio poenae, plerunque adhuc debitae, remissa iam culpa. Nam omnem poenam peccato debitam semper condonari culpa remis-

## A R T I C U L I

remissa, erroneū est, & scripturis sacris aduersatur.

### Articulus Septimus.

**C**erra fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest male & cū gratia Dei bene agere, & post mortale peccatum admissum, Deo adiuuante, pœnitere, & peccatorum remissionem consequi.

### Articulus Octauus.

**A**d iustificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus, Christum Iesum Dei filium, nobis propiciatorem à Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nullaq; pœnitentia iustificatio obtineri potest: sicut nec fide sola, sine pœnitentia & proposito uiuendi secundum mandata Dei,

### Articulus Nonus.

**F**ides qua quis firmiter credit, & certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, sequē possessorum uitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, imò eisdem aduersatur, etiam si firma & certa spe expectare debemus in hac quidem uita, per Sacramentum Baptismi & Pœnitentiae peccatorum remissionem, in seculo autem futuro, uitam æternam.

# F I D E I.

## Articulus Decimus.

Taq; quām diu inter hostes nostros & aduersari-  
as potestates hic uiuimus, nulla nobis est securi-  
tas : sed cum timore & tremore ( iuxta sententiā  
Apostoli ) nostram salutem operari debemus .  
secundum uarias animorum nostrorum affectio-  
nes, nunc magis sperare, nunc magis timere : sim-  
pliciter tamen magis & frequentius de misericor-  
dia Domini sperandum est , quām formidandum  
de seueritate.

## Articulus Undecimus.

O Pera bona omnibus adultis sunt ad salutem  
necessaria, & cūm ex fidei & charitatis spiri-  
tu profiscuntur, ita grata sunt deo , ut eis  
tanquam iustam mercedem uitam retribuat æternā.

## Articulus duodecimus.

C Onfirmatio & extrema Vnctio, Sacra-  
menta sunt à Christo instituta: sed non ut duo præ-  
cedentia ad salutem necessaria. ex contem-  
ptu tamen illa omittere, mortale peccatum est.

## Articulus decimustertius.

N Eucharistia sacramento, est re ipsa uerum cor-  
pus Domini nostri Iesu Christi, illud ipsum,  
quod de Virgine natum , & in cruce passum est.

G

## ARTICVL I

### Articulus decimusquartus.

**I**N Eucharistia non manent panis & uinum, sed hæc in corpus & sanguinem Christi admirabilis potentia uerbi ipsius sunt conuersa: manentibus tantum panis uinique speciebus, unde certa fide tenendum est sacrâ Eucharistiam sanctè à nobis adorari, siue in Missa, siue extra Missam, ubiuncque reposita fuerit: aut quoties in supplicationibus publicis à Sacerdote circumfertur.

### Articulus decimusquintus.

**N**on est laicis necessaria ad salutem communio sub utraq; specie iustisq; de causis ab Ecclesia sanctitû est, ut illis sub una tantum panis specie Sacramentû communicetur, in quo carnem & sanguinem, atque ita totum Christum sub una specie sumunt.

### Articulus decimusseptimus.

**S**acrificium Missæ ex institutione Christi, tam uiuis prodest, quam defunctis.

### Articulus decimussextus.

**S**olis Sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritū ordinatis, data est à Christo potestas consecrandi uerum corpus Christi & sanguinem.

## F I D E I.

**M**atrimonium contractū & consummatum inter Christianos, est indissolubile: qualiscumq; fiat alter coniugum, siue adulter, siue sterilis, siue haereticus.

### Articulus Decimusnonus.

**N**unquam licet Christiano post diuortiū contrahere matrimonium, uiuente eo cum quo prius legitimè contraxerat.

### Articulus Vigesimus.

**M**atrimonia contracta contra Canones ipsa dirimentes, simpliciter sunt irrita & nulla,

### Articulus Vigesimusprimus.

**F**irma fide tenendum est, unam esse in terris ue ram atq; Catholicam Christi ecclesiam eamq; uisibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usq; nostram æratem perdurans, retinet, & suscipit quicquid de fide & religione tradidit, tradit & traditura est cathedra Petri: super quam ita à Christo suo sposo est ædificata, ut in his quæ fidei sunt & religionis, errare non possit.

### Articulus Vigesimusecundus.

G ii

## ARTICULI.

**E**xtra hæc nulli speranda est salus: suntq; extra eam hæretici, scismatici & excommunicati: unde uehementer formidanda est excommunication: nec humana, sed diuina est excommunicandipotestas.

### Articulus Vigesimustertius.

**V**NUS est Ecclesiæ summus Pastor, cui omnes obediunt: ad cuius iudicium controuersiæ quæ super fide & religione existunt, sunt referendæ.

### Articulus Vigesimusquartus.

**S**Vmmam hanc præposituram primus omnium gessest sanctus Petrus, uerus Christi in terris uicarius, & totius familie eius pastor. Post Petrum uero, ex Christi institutioe, omnes deinceps Pontifices, Petri in cathedra successores.

### Articulus Vigesimusquintus.

**C**ERTA fide tenendasunt, non solum quæ scripturis expressè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda acceperimus: & quæ definita sunt super fidei & morum negotiis per cathedram Petri, uel per concilia generalia legitimè congregata.

## F I D E I.

### Articulus Vigesimussextus.

**C**onstitutiones Ecclesiastice de ieuniis, fe  
stis, & abstinentia ciborum, aliisq; multis  
obligant in conscientia; etiam extra casum  
scandali.

### Articulus Vigesimuseptimus.

**R**ecet sit in Ecclesia, quod sanctos in ecclis cū  
Christo agentes ueneramur & inuocamus ut  
pro nobis orent: quorū etiam meritis & in-  
tercessione, Christus nobis hic multa largitur, aliās  
non largituru: per quos etiam miracula multa in  
terrīs operatur.

### Articulus Vigesimusectauus.

**Q**uapropter sancte & religiosè faciunt, qui lo-  
ca eis dicata, unā cum ipsorum reliquis re-  
ligiosa pietate uisitant, & hoc modo  
ab ipsis opitulationem querunt.

### Articulus Vigesimusnonus.

**G**ratus est etiam Deo Imaginum usus: recte-  
que coram eis procumbimus, inuocaturi san-  
ctos quos repreſentant.

### Articulus Trigesimus.

## ARTICULI

**F**irmiter credendum est post hanc uitam purgatorium esse animarum, in quo soluitur pena peccatis adhuc debita. Eisdem tamen subueniatur, sacrificio altaris, oratione, ieiunio, eleemosyna, aliisq; bonis operibus uiuorum, sicut & indulgentiis qua citius ab ea liberentur.

### Articulus Trigesimus primus.

**A**nimæ defunctorum purgatæ, mox regnât cum Christo in ccelis. Et animæ impiorum hinc migrantes, sempiternis inferni traduntur suppliciis.

### Articulus Trigesimus secundus.

**R**ectè uota Deo facimus, rā monastica, quam alia: & facta obligant apud Deum: nec aduersantur libertati Euangelicæ: quæ à peccatis libertas est, & iis quæ spiritum nostrū quoquomodo impediunt, quo minus totus Deo seruiat: non autē à uoti uel juramenti obligatiōe, nec ab obediēntia magistratus Ecclesia stici uel secularis.

## F I D E I.



Rgo quod unum nostræ facultatis est, Mandamus Theologiae studiis omnibus, quacunq; ratiōe nobis subiectis, & in posterum subiiciendis. Primum, ne quid usq; doceant aut profiteantur, quod dogmatibus his contrarium sit: deinde, ut eadem fideliter cùm locus & occasio postulabit, tueantur & explicitent ad ueteris & Orthodoxæ fidei custodiam & ædificationem Christiani populi. Si qui uero docuerint contraria, eos pro modo facultatis nostræ omnino punire decreuimus.

Anno à Natiuitate Domini 1544. Mensis Decembri, Die 6. Facultas Theologiae congregata per iuramentum in Collegio Theologorum super Articulis præcedentibus, probavit hos Articulos sub forma qua scripti sunt. Sic subscriptum. De mandato Decani & Facultatis.

Iudocus de Langenhoue Notarius subscriptus.

15910

oew 65904135.

15910



Englisch handschriftlich auf einem Blatt Papier  
entnommen aus dem

1784 Sept.

aus einer handschriftlichen Sammlung der Reisebeschreibungen  
des Herrn von Knebel und Wobeser durch  
die Provinz Sachsen und Thüringen im Jahr 1784.

Epistola do. fortissim. litteris. a. g. aben. etiam ad d. ignem  
Glyndeb. die 1. Iunij. 1546.

Nihil nisi equidam non multo anno / que fortis patr. hinc opus  
et pessim. magnifico condonato constituta fuerint ha-  
bentur et ratione temporis doceantur quae fastidio et per ~~difficil~~  
articulus levius levior et leviorum / quae sunt pars operum  
antiquorumque dicuntur antiquorum....

2630 - 93.

